



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Dæmonum suggestiones erga animam reuerti gestientem, quæ sint, quomodo eædem contemnendæ sint: aduersus desperationes remedium quodnam adhibendum sit: pietas ite[m] Dei quanta erga animam ad se ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

peccata, de multis ac omnibus simul generalem habeas contritionem, in qua generali contritione omnia ac singula peccata velis includi, hoc est, vt nullum peccatum, etiam si singularim occurreret, excipi velis, de quo non doleas, aut quod nolis non fecisse, & quod non velis cauere. Hæc namq; contritio generalis virtualiter extendit se ad omnia ac singula peccata, etiam oblita, & de quibus non cogitas. Neque enim hoc exigo, vt de singulis peccatis necessariò habeas singulas contritiones, iuxta numerum aut speciem peccatorum. Ita enim beatæ Mariæ Magdalenz dixi: Dimisi ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Non dixi, Quoniam dilexit multoties. Nec ipsa Magdalena aliter quam simul de omnibus dolere potuit in tam subita compunctione. Ita tu quoque de omnibus doleas, vt nullum sit peccatum quod tibi placeat, siue in genere, siue singulare memoriz occurrat.

Contritio generalis de peccatis multis quæ necessaria.

Luc. 7.

Demonum suggestiones erga animam reuerti gestientem quæ sint: quomodo eadem contemnendæ sint: aduersus desperationem, remedium quodnam adhibendum sit: pietas item Dei quanta erga animam ad se reuertentem.

CANON II.

Non autem filia tristeris, si fortasè imaginationis patiaris ac phantasias, quasi iratus sim, aded vt nolim placari, nolim indulgere, nolim te ad gratiam recipere. Hæc susurræ sunt diaboli, quibus ad desperationem te nititur pertrahere. Huius est enim consuetudo primò dum tentat ad peccandum, meam memoriam à cordibus euellere, misericordiam meam peccantibus promittere, securitatem, audaciam, obstinationem voluntatis impiè confirmare. At postquam delinquentes à se velle sentit auertere, si tentationibus nullis potest retrahere ad facinus, tentatione desperationis animas formidolosas aggreditur. Suedet non confitendum, suadet non posse continere, non posse vinci consuetudinem malam, terret à magnitudine peccati commissi, mentiens quod nolim dimittere peccatum. Tu ò anima noli credere: quicquid sentias, non consentias desperationi. Sufficit hæc contritio, arido licet corde doleas, me offensum optes te non offensis, statuas nolle peccare. Quod si iterum deliqueris, iterum quoque surge, & denuò propositum non delinquendi statue. Si tertio deliqueris, tertio resurge. Denique quartò, quintò, & si postremò septuagies septies quotidie cecideris, toties ad me reuertere, ego suscipiam te. Nonne melius est vt suscipiam te quam amittam, simulq; omnes labores meos & penas pro tui redemptione toleratas perdam? Nihil igitur ò anima, nihil ò filia sanguine meo redempta, te à me auocet, nihil detineat, nihil remoretur. Et si diabolo te tradideris, si me centies negaueris, si me & mei imaginem pedibus conculcaueris, si conspueris, si Sacramento meo contumeliam feceris, dole quia fecisti, & ego dimitto tibi peccatù. Nò sit in oculis tuis aded magnum peccatum, quod spem veniz adimat. Non sit aded paruum, non aded multum, quod meam misericordiam posset superare. Nihil refert apud me, à multis an à paucis peccatis te redimam. Et magnus & paruus peccator æquè egent misericordia mea, quæ in inexhaustibilis omnibus fluit & abundat.

Demonis consuetudo qua circa peccatores.

Surgendum quomodo à peccatis.

Remedium contra desperationem peccatoris.

Non potest misericordiam meam vincere malitia tua. Quanto plura tu habes peccata,

M m m

peccata,

Misericordia Dei quanta erga peccatores.

peccata, tanto ego libentius ignosco poenitenti. Inde enim elucet maior gloria mea, quanto maiori peccatori maiorem erogo misericordiam. Non sum durus, non sum maleolus, non sum parcus, sed totus in te o filia liberalis, profusus & prodigus. Nihil minus habeo, si omnia mundi peccata tu sola fecisses, & tibi omnia dimitterem.

Peccatum emne ut sit voluntarium. Somnia ut neminem inquietent.

Est tamen fortasse aliud quod te terret, quia peccata te premunt: & quae olim vltro admiseras, iam inuisa cogere tolerare. Persequitur te aduersarius, & suis foeditates tecum habet. Quicquid inuisa sustines filia, non te damnabit: peccatum nanque aded esse oportet voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuam a consensu, & sine carnem & diabolum furere. De somnijs etiam nihil metuas, quicquid ibi actum, quicquid passum fuerit a dormiente, si ante & post somnum, ubi rationis compos fueris, tibi displicet, nequaquam venit tibi imputandum. Et licet per vitam conuersationis prioris antiquae tibi occasionem dederis, iam tamen non erit (postquam huius conuersationis poenitueris) occasio aut causa peccatum generans: quia antiqua per confessionem & contritionem deleta non causant peccatum, modo voluntas alioqui abest.

Contritio pro peccatis sensibilis, quam sit utilis ad abolitionem peccatorum: quinam ea exerceri debeat: quam item sit eadem

Deo accepta.

CANON III.

Contritionis sensibilis bona quae sunt.

Quanquam contritio sensibilis atque cordialis, seu sensualis displicentia peccati non sit ad veniam necessaria, valde tamen confert ad delenda euendaque peccata: valet quoque ad extirpanda vitia, ad obtinendam denique serenitatem tranquillitatemque cordis. Confortat enim spiritum vehementer, sensibiliter, cordialiterque dolere ac gemere: & hoc propterea, quod me Deum totum, (a quo es & habes bona omnia) vnquam offenderis. Qui hanc contritionem sentit, mihi gratias agat, quia & vere donum est meum, purificans animam a peccatis, modo pure doleatur: hoc est, propterea quod ego offensus sum: & dolor isto oritur ex radice charitatis. Neque enim poenitens propterea tantum dolere debet, tametsi etiam dolendum sit, quod peccando incommoda multa obligationesque incidit, quod poenis & debitis obnoxium se fecerit, quod denique ignominiam, foeditatem, infirmitatemque animae lux intulerit, aut ob alia huiusmodi, quae respectum tantummodo habet sui ipsius ex amore proprio natum: sed potius quod me offenderit, quod me inhonorauerit, quem velle debet a se & ab omnibus maxime honoratum, maxime amatum: ita ut poenitentis dolor non propter se praecipue sit, sed propter me. Huiusmodi dolor mihi acceptissimus est, cito placans, cito me reconcilians, aded ut nonnunquam solus sufficiat (ubi aded intensus fuerit) sine alia satisfactione, aut opere poenali ad abolendam omnem poenam peccatis debitam. Oritur enim ex charitate, quae operis multitudinem peccatorum, conscientiamque purificans, & ad me accedendi fiduciam praestans.

Poenitens cur dolere debeat.

Dolor pro peccatis qui Deo gratissimus. Prou. 10. Iacob. 1. 1 Pet. 4.

Quomodo dolor, amor, fiduciaque ad Deum simul crescunt.

CANON